

se ipsas diligere ut tantum eae referantur ultimo ad divinam bonitatem ut finem supremum et extrinsecum.

CONCL. II. Multo minus opus est docere Deum creaturas rationales ita diligere, ut ipsae sint finis ultimus eius dilectionis; quod satis absurdum est.

Amorem Dei erga homines commendant Patres: eiusque laudes ex eo repetunt, quod tot bona, et se ipsum nobis communicaverit: nullaque necessitate adactus, sed prorsus libere, absque ulla sua utilitate intrinseca, sed gratuito omnino nobis beneficiat: advertunt vero pariter omnia Deum propter suam bonitatem fecisse; suamque gloriam esse ipsum maximum bonum suarum creaturarum. Quae quidem optime cohaerent cum nostra doctrina.

§ 4. DE PERFECTIONE RERUM CREATARUM.

Thesis XII.

Si obiecti quod manifestatur, h. e. divinae bonitatis, ratio habeatur, manifestatio, quam per mundum Deus obtinet, dici debet optima: si autem spectentur ea, quibus haec manifestatio obtinetur, dici rursus optima absolute potest, quatenus omnia rerum generum in ordine physico tum morali per quae divina excellentia manifestari potest, continet mundus; at dici nequit simpliciter optima quatenus in his generibus gradus perfectionis, quo divina bonitas manifestatur, sit summus qui esse potest: dici rursus optima relative potest haec manifestatio, quatenus perfectissime ab omnibus simul rebus obtinetur gradus ille divinae gloriae, quem Deus sapienter et libere suis operibus praestituit et quatenus etiam ordo totius creationis melior et perfectior est, quam nos cogitando assequi valeamus. Negari vero debet Deum vel necessitate morali obligatum fuisse ad hunc determinatum gradum gloriae sibi praestituum, et idcirco ad mundum qualis reapse est creandum.

I. Ratio primi est quia divina bonitas optima est: prout ergo mundus eo spectat ut quod est optimum manifestet, ratione habita rei manifestatae, ipse optimus dici potest et debet.

II. Quaeritur autem utrum mundus iste optime manifestet divinam bonitatem; seu utrum manifestatio per eum divinae bonitatis sit optima. Id porro intelligitur, cum quaestio fit an mundus sit optimus. Itaque si nomen optimi solum positive accipiatur prout

significat perfectionem eamque excellentem; concedi sine dubio debet mundum optimum esse. Atque de hoc nulla est quaestio.

Quaestio vero est eaque duplex, cum haec appellatio *optimi* comparative accipitur, nimirum 1. utrum hic mundus secundum totum quod complectitur, prout harmonice omnes eius partes in unum conspirant, sit melior omnibus qui fieri poterint a Deo; 2. utrum teneretur Deus ad talem mundum optimum creandum.

Didacus Ruiz nobilis theologus (De voluntate divina Disp. IX) tueretur optimismum mundi sub certo tamen respectu, ac contendit Deum necessitate morali, quae physicam libertatem haud impedit, debuisse hunc optimum mundum creare. Scilicet distinguit bona creata in ea, in quibus excessus perfectionis est semper possibilis sine fine, et in ea in quibus limes existit perfectionis. Ratione habita priorum, concedit mundo hoc possibilem esse alium meliorem; sed ratione habita aliorum bonorum eorumque harmonicae synthesis, contendit Deum id fecisse quod melius est non relative tantum h. e. ex eo quod determinato fini praestito a Deo perfectissime respondeat, sed absolute, ita ut finis ei praestitulus h. e. gloria Dei melior omnibus sit. Fatendum est tamen Ruiz non satis clare sententiam suam exponere: etsi enim argumenta quae congerit et impugnat sententiae adversariorum eo pertineant ut doctrinam quam indicavimus stabiliant; locutiones tamen nonnullae quae illi excidunt, cum suam sententiam declarare vult et tueri, videntur exhibere tantum optimismum relativum. Sic enim e. g. ait Sect. III, n. 7. in conclusionem: « Deus semper atque infallibiliter vult illud bonum quod in ordine ad universitatem rerum est simpliciter optimum... quod intelligendum est in eo tantum genere perfectionis, in quo possibile est optimum, quoniam in illo non datur processus in infinitum. In hoc igitur Deus semper eligit optimum finem creatum, ita ut finis ille creatus, qui per scientiam simpliciter intelligentiae proponitur esse perfectissimus, et quod ex se est accomodatissimus ad maiorem Dei gloriam et ostensionem omnium attributorum, et attentis omnibus circumstantiis praeteritis praesentibus et futuris rationi maxime consentaneus, idem semper alliciat divinam voluntatem etc. » Cum dicis: *in ordine ad universitatem rerum, atque attentis omnibus circumstantiis praeteritis praesentibus et futuris*, an aliquam liberam divinam determinationem eiusdem finis qui consequendi supponis, respectu cuius hic mundus sit relative optimus? Didaco Ruiz nonnulli Theologi consentiunt.

Post eum Leibnitzius optimismum mundi defendit. Non negat creaturis singulis singulatim spectatis posse esse semper meliores, sed negat id valere quoad universum quod per totam aeternitatem



futuram durare debeat. Cum Deus nihil decernere valeat sine ratione, et nulla sit ratio Deo eligendi inferius bonum omisso meliore; minus enim bonum habet rationem mali, ipse non quidem metaphysice sed morali necessitate tenetur ad optimum; quia committere nequit quin agat modo perfectissimo, nec consequenter optimum eligat. Quod si vera sit opinio: hoc Universo possibile esse aliud melius, sequeretur quod Deus Universum nullum condidisset, quia nequit absque ratione agere, imo sic agendo ageret contra rationem. Theodiceae P. 41. n. 194 seqq.

III. Quod spectat ad 4. quaestionem utrum mundus sit optimus, affirmamus quod ratione habita generum rerum mundus est absolute optimus. *Absolute* dicimus eo quod non tantum propter ordinem ad aliquem finem libere a Deo electum, sed ratione sui comparatus cum ceteris possibilibus universis hic mundus optimus est. Sane ratione habita generum rerum ille mundus dicendus est optimus, quo nequit esse perfectior secundum genera rerum; atqui ita est: ergo. Prob. minor. Sane omnium rerum in ordine ontologico genera possible (quae infinita non sunt) continet mundus: continet enim materiam, et spiritum; nulla est autem excellentior spiritu possible creatura: secus enim Deus non formaliter sed solum eminenter contineret perfectionem spiritus, nam in hac hypothese ea non foret perfectio simplex: fides autem divina et speciatim fides mysterii Trinitatis docet nos Deum esse formaliter intelligentem et volentem h. e. spiritum: neque aliquid inferius materia excogitari potest. Porro praeter hos duos veluti extremos terminos habetur utriusque synthesis h. e. homo: materia rursus tum inorganica est tum organica: item vita existit sensitiva, rationalis, pure intellectiva. Rursus praeter ordinem naturalem est ordo praeternaturalis et supernaturalis, atque in hoc ordine non solum sunt filii Dei adoptivi, Deique intuitiva visio, sed est Homodeus Deique Mater. Quod spectat ad ordinem moralem sunt primo bona moralia iustitia et sanctitas exercitiumque virtutum in pluribus, deinde est lucta bonorum cum malis, splendorque virtutis in adversitatibus et impugnatione malorum honorumque victoria et triumphus finalis, divinaeque liberalitatis, misericordiae ac iustitiae manifestatio. Profecto praeter haec genera nullum perfectius genus excogitari aut esse potest. Quoniam vero tantum hac supposita limitatione h. e. sola consideratione generum rerum mundus modo dictus est optimus, liquet quod propter hanc rationem nonnisi *secundum quid* optimus mundus vocari potest.

IV. Ac si praecisio fiat ab hac limitatione, et universum per se spectatum comparetur ratione ontologicae ac morales perfectionis cum ceteris possibilibus, negandum est ipsum esse absolute optimum. Sa-

ne ille mundus non est simpliciter optimus absolute, cuius alius et alius nedum materialiter, sed et formaliter perfectior esse potest: atqui hoc universo possibile est aliud formaliter perfectius: ergo. Materialis perfectio mundi sita intelligitur haec in numero perfectionum; formalis perfectio in manifestatione divinae bonitatis. Quocirca solum materialiter esset alter mundus altero perfectior, si eadem existente manifestatione divinae bonitatis, plures creaturas alter contineret: at si manifestatio ideoque gloria divinae maiestatis maior est, mundus eam praefrens dicendus est perfectior. Prob. ergo minor syllogismi, et primum a priori h. e. ab ipsa rei essentia. Manifestatio divinae bonitatis, quae hoc universo obtinetur, quaecumque tandem sit, est finita; atqui quovis finito dato potest dari aliud maius: ergo potest esse maior manifestatio divinae bonitatis. Nihil autem ad hoc refert quod mundus hic sit in aeternum duraturus. Et sane in quovis genere eorum quae sunt, gradus perfectionis finiti cum sint, augeri possunt ita ut et sanctitas creatae divinae Humanitatis Christi, divinaeque Matris maior esse queat; atqui aucta perfectione omnium generum, augeatur necesse est manifestatio divinae maiestatis, quae per has perfectiones manifestatur. Prob. secundo veluti a posteriori, h. e. adductis in medium iis quae vere esse possunt. Etenim 1. possunt certe esse spiritus perfectiores secundum gradum intelligentiae iis omnibus qui existunt: atqui hoc ipso maior esset manifestatio et gloria divinae bonitatis; nam existeret perfectior cognitio, et sic perfectior amor et laus divinae bonitatis. Dices repugnare divinae sapientiae ut maiorem cognitionem sui tribuat alteri quam Humanitati Verbi, et divinae Matri. Respondeo id non prohibere quominus possit haberi maior quam actu sit cognitio Dei. Nam ut iam monuimus cognitio humanitatis Christi competens ac divinae Matri est ontologicae finita: potuit proinde is quoque ordo intelligentiarum institui ut quae cognitio nunc hic competit, competeret pluribus aliis spiritibus, quos Christus homo et Deipara eadem imo etiam maiore proportione excederet qua nunc ipsi excedunt spiritus actu existentes. Itaque esse potuit talis institutio quoad intelligentias ut cognitio beatorum in caelo multo maior esset quam in hoc ordine statuta sit, ideoque gloria Dei esset maior. 2. Animalium species ac plantarum plures esse possunt quam sint, corpus quod spiritui unitur, multiplici modo quoad vitam vegetalem attemperari potuit, ac potuit profecto institui acrioribus sensibus vel aliis sensibus, quibus quae nunc nos fugiunt ut e. g. aetherem motusque eius attingeret; atqui his positis maior esset realis et omnibus comperta manifestatio divinae sapientiae quae crescit actus differentibus operibus artis. Dices ex iis quae existunt satis eandem



Dei sapientiam manifestari: nam ex iis colligimus hanc notitiam quod haec omnia possit. Respondeo quod hanc notitiam colligere-  
mus ratiocinando etsi unam Deum creasset ranam: quo tamen in  
casu nescio an quis diceret creationem optimam esse. Scilicet non  
agitur de manifestatione solum deducta, sed de manifestatione typi  
per ectypos, in quibus realis similitudo typi continetur: ergo.

V. Disputavimus de optimismo absoluto, atque indicavimus (p. III)  
rationem propter quam mundus absolute vocari possit optimus. Lo-  
quimur nunc de optimismo relativo, seu spectamus perfectionem  
mundi respectu finis, qui a Deo est intentus: atque sub hoc respectu  
ipsum simpliciter optimum dicimus. Deus quippe libere mundi crea-  
tionem decernens quemdam certum finem qui obtinendum sibi prae-  
stituit (cf. dicenda in p. VII), eumque, cum sit finis ultimus obti-  
nendus, voluntate absoluta voluit. Iam vero si perfectio mundi quae  
in partibus et in toto reperitur comparatur cum illo certo gradu  
manifestationis suae bonitatis, quem Deus libere elegit, tanquam  
medium cum fine obtinendo, mundus rursus dici optimus potest:  
quia quoad hunc finem ipse est optimum medium, nam aptissime  
conducit ad eum finem, propter quem est factus. Id autem a priori  
nos cognoscimus, habita ratione divinae sapientiae et potentiae: quod  
cum Deus libere certum gradus gloriae suae obtinendum elegerit,  
hunc reapse obtinere velit, et reapse obtineat. Potestati enim suae  
nihil resistit, et sapientissimus ordinator ad finem, quem praestitit,  
aptissima media adhibet, ac ultimum finem, qui est gloria sua abso-  
luta voluntate vult et facit. Ergo mundus iste ad gloriam a Deo in-  
tentam perfecte conducit.

VI. Si tandem perfectio mundi comparatur cum cognitione no-  
stra, quae eam ex toto capere non valet, potest quoque mundus dici  
optimus, h. e. melior quam nos cogitando assequi possimus. Quod  
enim cognitionem nostram perfectione sua excedit, inter optima  
computare solemus.

VII. Restat altera quaestio: scilicet an Deus teneatur ad optimum  
faciendum seu quod perinde est, ad melius; si enim tenetur ad opti-  
mum, eo ipso tenetur ad id quod melius est ex possibilibus, et si  
tenetur ad melius, tenebitur ad optimum in hypothesi quod hoc sit  
possibile. Qui id affirmant, necessitatem non quidem physicam sed  
moralem adstrunt in Deo ad optimum universum producendum.  
Nos ita cum pluribus theologis statuimus 1. Necessitas moralis orta  
ex convenientia et honestate actionis est in Deo necessitas physica  
et metaphysica. Ratio est: quia, secus ac in creaturis accidit, repu-  
gnat metaphysice Deo inhoneste, inconvenienter agere; si ergo ali-

quid necesse est Deo fieri quia secus haud convenienter et ho-  
neste ageret, illud erit Deo necessarium metaphysice.

2. Qui contendit quod Deus supposita voluntate creandi, debue-  
rit necessitate morali eligere melius, pariter contendere debet quod  
eadem necessitate Deus adactus sit ad creandum. Sane si Deus neces-  
sario eligit id quod obiective est melius, posita, ut ita dicam, delibe-  
ratione creandus ne sit mundus an non, quoniam mundus existens  
est certe melior non existente, necessario debuit Deus eligere crea-  
tionem mundi. Quia vero, ut diximus, haec necessitas est reapse  
physica in Deo; hinc nulla libertas esset reliqua Deo sive quoad  
creationem sive quoad talem creationem.

3. Quoniam absolute optimum non est inter possibilis, quia quovis  
finito potest esse aliud maius; Deus nequit teneri ad id creandum quod  
est absolute optimum vel melius.

4. Dato etiam quod esset inter possibilis absolute optimum, Deus  
nulla necessitate teneretur ad illud producendum etiam facta hypo-  
thesi quod vellet creare. Id enim postulat independentia absoluta  
Dei ac perfectissima sibi sufficientia, quibus fit ut nihil extraneum  
sit ullo modo necessarium Deo, habeatque Deus potestatem se libe-  
re determinandi ad creationem mundi, ac ex manifestationibus suae  
divinae bonitatis, dummodo simpliciter bonae sint et positive con-  
venientes, ita ut nihil contineant suis attributis contrarium, quarum  
certa multitudo numerari nequit, possit aliam prae alia eligere. Cuius  
electionis, quae melius omitteret, si quaeras rationem sufficientem;  
respondemus 1. quod in actione Dei declaranda non solum est ur-  
gendum principium rationis sufficientis, sed habenda est etiam ratio  
independentiae et libertatis divinae: respondemus 2. quod quando  
agitur de libera actione voluntatis, nunquam est quaerenda ante  
ipsam vel extra ipsam determinationem voluntatis ratio adaequate  
sufficiens existentiae effectus, vel ratio inferens necessario determi-  
nationem voluntatis: hoc enim ipsam libertatem perimeret (cf. Insit.  
Philos. Anthropol. Th. ult.): sed quaerenda est tantum ratio cur pos-  
sit voluntas se exercere, cur possit hoc vel illud eligere. Quibus po-  
sitis respondemus 3. rationem sufficientem illius electionis cum esse,  
quia talis mundus est unus ex bonis ac convenientibus manifestationi-  
bus divinae bonitatis, ideoque ex possibilibus Deo ac eligibilibus, seu  
aliis verbis; quia talis manifestatio divinae bonitatis, quae per eum  
obtinetur, bona est; quod enim bonum est sufficit ad allicendam  
voluntatem. Neque exercitium divinae voluntatis exigendum est ad  
normam voluntatis creatae. Haec enim quoniam vel lege proprie  
dicta perfectibilitatis tenetur, vel naturaliter desiderium ad eandem  
habet, ac per actus atque obiecta in quae tendit perficitur, fieri po-



test ut moraliter vel necessarium vel conveniens exclusive illi sit eligere melius inter ea quae potest; at Deus est prorsus immunis ab ea lege aut desiderio naturali perfectibilitatis quae ipsi repugnat. Cum autem e contrario Deus nihil sibi intrinsece operando acquirat, quoniam potuit omittere creationem mundi, eadem ratione potuit, creans, mundum omittere meliorem, contentus bono.

3. Hinc tandem nec Deus tenebatur mundum creare qualem reapse creavit, ut scilicet secundum genera rerum optimus esset. Sequitur ex praecedenti. Et sane an Deus tenebatur e. g. velle Incarnationem? si consulamus Ecclesiae sensum, probabilior est certe sententia, quod non existente peccato, haud fuisset Verbum incarnatum: an tenebatur ergo Deus velle permittere peccatum? Pariter an tenebatur Deus velle illud genus boni moralis quod locum habet in lucta bonorum hominum cum malis hominibus? rursus ergo tenebatur Deus velle permittere existentiam improborum. At huiusmodi necessitas imposita Deo permittendi peccata praeter generalem rationem h. e. laesionem divinae independentiae et libertatis, speciali etiam ratione reicitur; quia nequit cum ea componi seria voluntas quam Deus habet ne fiant peccata, odiumque sincerum quo ea prosequitur eo quod suae gloriae adversentur. Qui enim id concipi potest, si ante quodvis decretum Dei vel faciendi vel permittendi, necessaria est existentia peccatorum pro gloria Dei? si praesertim dicatur Deus necessario quaerere ad extra gloriam suam, quod quidem vidimus (n. 2.) dicendum esse, si Deus ad optimum vel melius morali necessitate tenetur. Restat ergo creationem huius mundi fuisse ex omni parte liberam Deo. Libere scilicet Deus h. e. nulla coactus necessitate elegit creationem rerum, libere certum gradum manifestationis suae elegit ex tot possibilibus, quos divina scientia representabat; quem quidem elegit eligendo eam seriem et synthetisim rerum seu mundum, qui illi certo gradui manifestationis propriae conducere.

VIII. Haec est doctrina s. Thomae qui 1. p. q. XXV, a. 2. docet « simpliciter loquendo, qualibet re a se facta posse Deum facere aliam meliorem »: ergo et meliorem mundum. Sane ibid. ad 3. ait. « quod universum, suppositis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum a Deo, in quo bonum universi consistit. Quorum si unum alio esset melius, corrumpere proportio ordinis, sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumpere tur citharae melodia. Posset tamen Deus alias res facere, vel alias addere istis rebus factis, et esset aliud universum melius ». Porro concedit ibid. ad 4. quod ex parte beatitudinis sitae in fruitione Dei, et ex parte Incarnationis Verbi, divinae-

quae maternitatis, nihil potest fieri melius, h. e. ut diximus ratione habita generum rerum.

Nequo aliter accipiendi sunt Patres (qui in patrocinium sui optimi citantur a Ruiz De Volunt. Dei. Disp. 9.) cum optima esse Dei opera, nihil melius fieri posse, quam quae Deus facit, affirmant; nimirum vel spectatis generibus rerum vel certo fine a Deo intento vel etiam ratione habita excessus supra nostram cognitionem. Aug. Lib. III. De lib. arbit. c. 8. « Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem. » Quod autem vera ratione melius occurrit, id ad certum finem aptius conducit. Et Basiliius hom. 9. quod Deus non est auctor malorum: « Unum hoc habere in mentibus nostris praesumptum oportet, quod cum simul boni Dei officium, et ab illo constemus, omnia circa nos tam modica quam magna dispensante, nihil nobis accidit illo non volente, et quod nihil eorum, quae nobis accidit, malum sit, aut tale ut melius illo aliquid excogitare queamus. » Damascenus Lib. II. c. 29. « Si Dei voluntas providentia est, omnino necesse est, omnia quae providentia fiunt, secundum rectam rationem optima et Deo decentissima fieri, ut non possint ea melius fieri. » Chrysost. in 1. Cor. h. 12. « Si tu rationum vias ingrediaris mille, nullam invenies, quae tam vere tam apposite habere ista omnia demonstret, quam si ita placuisse rerum officii consistere. Certe enim quod optimum rectissimumque factum fuit, hoc illum voluisse consentaneum esse debet. » Cyrillus Alex. L. III. cont. Iulianum. « Chrysippus autem, qui Socratem sequebatur, volebat ad ea, quae fiebant dici: quis scivit? sed, hoc omnino erat melius. Nam cum nequeant res melius dispensari, quam ut Deus dispensat: decet prorsus in his quae fiunt existimare, quod sic erat melius habere ut habet. » Auctor libri de Vocatione Gentium, c. 17. « Certissimum est nihil aliter Deum facere debuisse quam fecit. » August. L. I. cont. adversarios legis et Prophetarum, c. 14. « Numquid si melior esset qui non posset peccare, ideo non bene factus est qui posset peccare et non peccare. Ant vero usque adeo desipiendum est, ut homo videat melius aliquid fieri debuisse et hoc Deum vidisse non putet, aut putet vidisse et credat facere noluisse, aut voluisse quidem, sed minime potuisse? » S. Anselmus L. II. Cur Deus homo, c. 4. « Si nihil pretiosius agnoscerit Deus fecisse quam rationalem naturam ad gaudendum de se, valde alienum est in Deo ut illa rationalem naturam penitus perire sinat. Necesse est ergo ut de humana natura perficiat quod incepit. » Haec enim omnia et similia iuxta traditas explicationes aut omnes aut unam alteramve accipi possunt, imo debent.



## Thesis XIII.

*Ad factum quod spectat, veritas est revelata mundum non semper fuisse, sed in tempore, sive potius cum tempore incepisse. Ad quaestionem vero quod spectat possibilitatis, tenendum pariter est mundi sive cuiuscumque entis contingentis existentiam ab aeterno intrinsece repugnare.*

I. Ad quaestionem de perfectione mundi creati pertinet quoque quaestio de eius duratione: an ab aeterno scilicet fuerit aut potuerit esse; duratio enim rei perfectio quaedam est eius.

Iam vero quod incipit esse, aliquando non fuit. Tempus vero, quod per  $\tau\theta$  *aliquando* designatur, non est necessario tempus aliquod reale praecedens, sed sufficit tempus possibile, secundum quod res potuit esse prius quam reapse fuerit. Concipies autem rem potuisse esse prius, si initio ducto ab actuali instanti eius existentiae et superius ascendendo, concipias, quod per se verum est, potuisse numerari plura instantia durationis, plures dies, plures annos, inter illud actuale instans et initium existentiae, quam reapse numerati sint.

Mundi ergo inceptio eo redit ut aliquando mundus non fuerit, ut nempe non quidem in aeternitate, sed in serie temporis possibili indefiniti designari possint praecedentia instantia plurima sine fine, quibus potuit esse mundus et non fuit. Mundus proinde incipiens post nihilum sui existit. Agentes modo quaestionem facti abstrahendo a quaestione possibilitatis, eam non nisi per testificationem expedire possumus.

II. Quod praesertim S. Thomas q. XLVI. a. 1. contendit, illud est, demonstrare scilicet quod nulla sunt argumenta, quibus inceptio mundi impugnetur, ipsaque ratione suaderi posse eandem inceptionem. Hinc spectat corpus articuli et responsio ad omnes propositas difficultates. Demonstratio vero facti inceptionis breviter exhibetur arg. *sed contra*, duplici testimonio Scripturae. Quam demonstrationem ut aliquantulum dilatemus, advertimus 1) nunquam et nusquam in Scripturis adsertam vel adsignificatam aeternitatem mundi; 2) aeternitatem sub ratione carentis initio attribui Deo iis formulis quibus eius propria esse significetur. Isaiae XLI. 4; XLIV. 6; XLVIII. 12; Apocalyp. 1. 8; XXI. 6. 3) Quoad mundum usurpari semper locutiones temporariam existentiam significantes, initiumque durationis. Ecclesi. XXIV. 5; Psal. LXXXIX. 2; Ioan. XVII. 5;

Ephes. I. 4; ad Titum I. 2; Genes. I. 4; Prov. VIII. 22. seqq. Quae omnia testimonia si conferantur, quamvis quaedam videantur de sola formatione loqui, in eandem sententiam temporariae inceptionis rerum conspirare constabit.

Patrum testimonia afferre non est opus, quia res manifesta satis est et quia quae in sequenti parte afferentur testimonia ex Patribus, hoc ipsum quoque necessario evincunt. Doctrinam hanc Concilium Lateranense IV confirmavit « Credimus... quod unus solus est verus Deus... creator omnium visibilium et invisibilium... quia sua omnipotentis virtute simul *ab initio temporis* utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem. »

III. Veritate hac in tuto posita, e re erit praecipua saltem doctrinae capita, quae in I. et 3. articulo q. citatae tradit s. Thomas breviter percurrere, ut distinctior notio inceptionis rerum animo informetur. Itaque docet 1) quod cum mundus pendeat ex voluntate Dei libera sicut ex sua causa, non est necesse ut mundus sit simul ac sua causa est, sed esse debet, quando Deus illum esse vult (corp. artic.). « Nam posita actione sequitur effectus secundum exigentiam formae, quae est principium actionis. In agentibus autem per voluntatem, quod conceptum est et praedefinitum, accipitur ut forma quae est principium actionis. Ex actione igitur Dei aeterna non sequitur effectus aeternus, sed qualem Deus voluerit scilicet ut haberet esse post non esse. » (ad 10.) Quare « licet Deus ab aeterno fuerit sufficiens causa mundi, non tamen oportet quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in praedefinitione suae voluntatis, ut scilicet habeat esse post non esse » (ad 9.). Nulla proinde mutatio ex parte Dei, ac si prius voluerit mundum non esse, postea voluerit esse, sed prius et posterius se tenent tantum ex parte effectus, quem voluit Deus prius non esse, postea esse (ad 6.). Quod et Zacharias Mitylensis De Mundi officio iam monuerat; ita enim Christianus solvit difficultatem petitam ex mutabilitate consilii Dei contra temporaneam mundi existentiam. « Non necesse est dicere Deum in tempore consilium caepisse de rebus procreandis;... sed habitus de iis voluntatem sine principio tanquam bonus et Deus: in actum vero produxit cum commodum futurum erat rebus, quae factae sunt. »

Docet 2) s. Doctor causam universalem omnis entis causam esse quoque temporis, ideoque nullum tempus reale praesupponere suo effectui. Qui dicitur fieri in tempore, non eo modo quo effectus causarum naturalium in tempore fiunt, quatenus tempus aliquod reale eos praecedit, comitatur et subsequitur; sed dicitur fieri in tempore, quatenus cum ipso incipit tempus reale, quod non semper



fuit ad 6). Quare distincto actu creativo ab effectu eiusdem, cum quaeritur: quando Deus fecit mundum; si illud *quando* ad actum Dei referatur, vel negandum est suppositum, si *quando* proprie accipiatur, vel dicendum est fecisse in aeternitate, quae est duratio actus divini: si vero illud *quando* ad effectum referatur, reponendum est effectum productum fuisse in tempore, non quidem in aliquo tempore reali quod Deus extra se invenit, cum eius effectus incepit esse, sed in tempore quod incepit cum effectu, et ante quod tempus praecessit indefinitum tempus possibile. Unde potius quam *in tempore* dicere licet cum Augustino de Civit. Dei L. II, c. 6. *cum tempore* mundum fuisse conditum. Accipe disputationem inter Christianum et ethnicum penes Zachariam Mitylaenam l. c. « *Medicus*. Quod si factum est tempus, omne autem quod fit, in tempore fit, tempus igitur in tempore factum est, et fuit tempus ut tempus existeret. Tempus ergo erat etiam antequam esset hic mundus, quod fieri non potest. Quae si absurda sunt, erit igitur tempus increatum, et mundus increatus, quandoquidem omne, quod fit, in tempore efficitur. *Christianus*. Egregie, mi amice, sapientis Platonis sententiam subvertere vos didicistis..... Ut igitur veritati opem nos feramus, sic concise et simpliciter aedificationem vestrarum captivum in arena constantem diluimus. Dicimus igitur primam summationem non esse veram: nempe omne, quod fit, fieri in tempore. *Medicus*. In quo ergo tempus et mundus efficitur, si non in tempore? *Christianus*. 'Εν αἰωνίῳ (in aeternitate) μὴ ποτε. Imago enim eius est tempus; sique necesse non est tempus fieri in tempore.»

Quod ergo ait S. Augustinus De Civ. Dei L. XII, c. 15 « non enim fuit tempus quo non esset tempus » caute accipiendum est; si enim tantum consideras tempus reale, tunc verum est non fuisse tempus reale, quo non esset tempus reale: sed si spectas quoque tempus possibile, tunc falsum est non fuisse tempus possibile, quo non esset tempus reale; ante mundum enim cum solus Deus esset, tempus possibile erat, non reale. De hoc tempore possibili loquitur S. Thomas: « dicendum quod Deus est prior mundo duratione. Sed hic *prius* non designat prioritatem temporis, sed aeternitatis. Vel dicendum quod designat aeternitatem temporis imaginati, et non realiter existentis: sicut cum dicitur, supra caelum nihil est; ly *supra* designat locum imaginatum tantum, secundum quod possibile est imaginari dimensionibus caelestis corporis alias dimensiones superaddi » (ad 8.).

Docet 3) S. Thomas tempus concreatum fuisse rebus non nisi *secundum aliquod nunc*, a quo tempus seu duratio successiva incepit (a. 3. ad 3). Scilicet *nunc temporis* est limes inter praeteritum

et futurum, sicut punctum in linea limes est inter partem praecedentem et consequentem atque est id quod de tempore actu est. Vix ac ergo mundus creatus est, fuit aliquod nunc limes inter praeteritum imaginarium seu possibile et futurum reale; ideoque initium fuit temporis realis.

Cetera quae habet s. Thomas, videri possunt penes ipsum; eo vero spectant, ut sophismata Aristotelis pro necessaria mundi aeternitate dissolvant (cf. Instit. Philosoph. Cosm. Th. XXXI p. 1.).

IV. Expedita questione facti restat quaestio de possibilitate. Iam vero advertit perinde esse (cf. s. Thom. 1. p. q. XLVI n. 2.) ens aliquod ab aeterno fuisse, et eius durationem caruisse initio seu non incepisse. Nam si initium ponis, oportebit alligare hoc ipsum initium durationis alicui instanti in serie indefinita temporis, h. e. illi instanti quod praeverit cetera instantia durationis: atqui hoc ipso instanti sunt alia priora, in quibus creari potuisset; est enim ea series possibilis indefinita, quod vero existit ita ut potuerit existere prius non est ab aeterno: ergo perinde est esse ab aeterno et carere initio. Sane si initium adest, habetur terminus durationis a parte ante, existente termino est actu finita duratio a parte ante, duratio actu finita non est aeterna; duratio ergo a parte ante non esset aeterna, h. e. non esset ab aeterno. Hoc praemisso claritas gratia, constat hac in re divas fuisse Theologorum opiniones. Quaeri autem potest primum quoniam hac in re fuerit sententia Patrum: cui quidem quaestioni haec, ubi theologos agimus, opus est respondere.

Porro si Patres consulamus, sententia negans frequentissima est inter eos. Irenaeus L. II, c. 64: « Discant quoniam sine initio et sine fine vere et semper idem eodem modo se habens solus est Deus, qui est omnium Dominus, quae autem sunt ab illo omnia, quaecumque facta sunt et fiunt, initium quidem suum accipiunt generationis; et per hoc inferiora sunt ab eo qui ea fecit, quoniam non sunt ingenta. » Et L. IV, c. 24. « Hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit; homo autem fit; et quidem qui facit, semper idem est, quod autem fit, et initium et mediocritatem, et adiectionem et augmentum accipere debet. » Tertullianus adv. Hermog. c. 16. « Unici Dei status hanc regulam praescribit, non aliter unici, nisi quia solus; non aliter solus, nisi quia nihil cum illo. Sic et primus erit, quia omnia post illum, sic omnia post illum, quia omnia ab illo; sic ab illo, quia ex nihilo. » Methodius disputans contra Origenem qui (ut Methodio saltem videbatur) aeternitatem sed participatam mundo aderebat: ait « Coaeternum, cum nullum ortus principium admittat, necesse est ut sit etiam ingentum, et eiusdem potentiae cum Deo. Quod autem ingentum est,



id manifesto etiam per se perfectum et immutabile erit. » Athanasius Orat. I, 29. cont. Arianos: « Quod si curiosius inquirant cur Deus cum semper facere possit, non semper faciat, furentiam haec quidem est audacia. Quis enim cognovit mentem Domini aut quis consiliarius eius fuit? aut quomodo dicat figmentum figulo: cur me ita fecisti? Sed ut ne vel tenui aliqua obiecta ratione sileamus, audiant: tametsi Deus possit semper facere, at res creatas aeternas esse non posse. Quippe ex non exstantibus sunt, et non erant antequam fierent. Quae autem non sunt antequam fiant, quomodo poterant cum Deo qui semper esse existere? » Et Orat. II, 1: « Proprium est creaturarum et operum non esse antequam fiant, et ex non exstantibus subsistere. » Basilius L. II. cont. Eunomium. « Nos autem eiusdem insaniae esse putamus tum creaturae aeternitatem adscribere, tum creaturae Dominum hac dignitate privare. » Refert Zacharias Mityleneus in Disputatione De Mundi Opificio quid Platonicus responderent Christianis improbantibus aeternitatem mundi: « aiunt enim quod quemadmodum quidem corpus existit causa uniuscuiusque umbrae, et tamen umbra par est tempore corpori, non autem honore; sic sane hic mundus consecrarium quiddam est Dei, quippe causa eius est ut sit; et coaevus quidem est Deo, non tamen honore aequalis. » Respondet autem Christianus quod qui haec dicit « non cernit absurditatem eorum quae dicuntur »; licet id forte non satis evidenter demonstrat, colligit enim ex hac sententia quod Deus non libere sed necessario creasset, quod absurdum est. Cyrillus Alex. Thesauri I. 32. « Quod omnino per creationem ad hoc ut esset deductum est, non potest intelligi a principio existitisse »: Maximus Martyr. lib. de Caritate c. 6. « Quidam asserunt ex aeterno cum Deo creaturas existere; quod fieri non potest. Quomodo enim cum eo quod omnino est infinitum, simul existere possunt ex aeterno quae omnino definita sunt? Aut quanam proprie opera sunt, si opifici coaeterna? Atqui graecorum propria est haec oratio, qui substantiarum nullo modo, qualitatum vero dumtaxat molliorem Deum affirmant. Nos autem omnipotentem agnoscentes Deum, non qualitatum, sed affectuum qualitibus substantiarum artificem cum esse dicimus. Quod si ita est, non ab aeterno simul existunt cum Deo creaturae. » Ioannes Damascenus L. I. c. 8. « Creatura cum voluntatis Dei sit opus, non est Deo coaeterna. Non enim natura fert, ut quod ex nihilo ad esse proventum est, coaeternum sit ei, quod principio caret estque semper. » Augustinus L. 12. Confess. c. 15. « Statuit eam (creaturam intelligentem) in seculum seculi, praecipuum posuit, et non praeribit. Nec tamen tibi Deo coaeterna est, quoniam non sine initio; facta est enim. » Fulgentius

De Fide ad Petrum c. 3. « Hic Deus qui sine initio semper est, quia summe est, dedit rebus a se creatis ut sint, non tamen sine initio; quia nulla creatura eiusdem est naturae cuius est Trinitas. » Anselmus in Monolog. c. 27. « Vel hoc solum aeternitatem soli inesse substantiae, quae sola non facta, sedatrix est inventa, aperte percipitur; quoniam vera aeternitas principii finisque meta care intelligitur, quod nulli rerum creaturarum convenire, ex ipso quod de nihilo factae sunt, convincitur. » Quibus in testimoniis manifestissime haec doctrina continetur: fieri non posse, ut creatura aliqua sit ab aeterno, alique hanc impossibilitatem cum natura ipsa rei creatae consortem esse.

Una cum Patribus non pauci quoque Theologi Doctoresque maximi nominis in negantem sententiam concesserunt, ut s. Bonaventura in 2. Dist. 1. p. 2. qui ait: « Ponere mundum aeternum esse sive aeternaliter productum, ponendo res omnes ex nihilo productas, omnino est contra veritatem et rationem... et adeo contra rationem, ut nullum philosophorum quantumcumque parvi intellectus crediderim hoc posuisse. » et Richardus a s. Victore De Trinit. Lib. II. c. 9. « Quidquid ex creatione esse accipit, fuit procul dubio quando omnino nihil fuit; alioquin ex nihilo creari non potuit. » Adde Henricum Gandavensem Quodl. I. qq. 7. 8. Toletum in VIII. Phys. c. 2. Ptolemaeum Philos. Theolog. natur. Dissert. 5. Gregorius De Valentia in quaest. citatam s. Thomae motus auctoritate Patrum concedit repugnare aeternitatem mundi, etsi ratio forte, ut ipse ait, ignoretur.

V. Si ad normam solius rationis quaestio exigatur, disputari solet inter theologos et philosophos an repugnet aeternitas a parte ante rei contingentis, eaque repugnantia possit demonstrari. Quoniam quaestionem hanc late tractavimus in Philosophia (Cosm. Th. XXXI.), satis erit hic breviter ipsam quoad utramque partem expedire.

Itaque advertimus demonstrationem, qua efficitur aliquod praedicatum convenire subiecto, quaeque ab intrinseco petatur, colligi posse vel ex sola consideratione essentiae praecise spectatae, vel ex consideratione proprietatum illius essentiae. Si primo modo demonstrationem quis institueret velit de repugnantia productionis ab aeterno entis contingentis, nempe arguendo ex solo conceptu *entis contingentis vel producti*, concedimus absolvi non posse demonstrationem. Porro huc spectant argumenta veterum (cf. opus. s. Thomae adv. murmurantes, et in 1. p. q. XLVI, a. 2.), qui demonstrare contendebant haud repugnare huiusmodi participatam aeternitatem; quae quidem argumenta id tantum efficiunt cum conceptu obiectivo entis contingentis et producti talem aeternitatem non repugnare. Si vero



altero modo demonstratio instituat, nimirum spectatis iis quae cum natura entis contingens, veluti proprietates sunt intrinsece connexa, sic profecto demonstrationem dicimus absolvi posse; neque eam impetunt argumenta veterum quae alio spectabant. Haec autem, quae dicimus intrinsece connexa cum ente contingente, referuntur ad eius durationem; et huc redeunt ut sit 1. duratio non tota simul et proinde aliquo vero sensu successiva, 2. duratio quae indefinite producta potest in duplicem indefinitam aeternitatem a parte ante et a parte post distingui, 3. duratio quae spatio temporis mensurari potest cui coexistat, ita ut ea durante augeri possint sine fine horae e. g. dies, et anni, 4. si sermo sit de ente vel serie formaliter successiva, est duratio quae requirit terminum a quo procedat. Atqui si haec considerentur, facile demonstratur ens contingens non posse esse ab aeterno. Nam 1. quoad entia formaliter successiva, ut sunt motus et tempus, et quoad series formaliter successivas, ut est generatio hominum, deesset terminus a quo. 2. Generatim quoad entia contingentia, duratio eorum est aliquo vero sensu successiva; eo quod debet posse in ea distingui instans quo producentur ab eo instanti quo conservantur, nam in hoc possent destrui aut annihilari, non in illo: et sic successiva sunt instantia conservationis quia in singulis post priora destrui entia possent. Atqui instans creationis praevertere debet cetera alia, nec aliud ante se habere: duratio autem cuius assignari debet instans primum, post quod alia, est duratio quae incipit, ideoque non ab aeterno; ergo. Item duratio successiva, seu non tota simul, cum augeri semper valeat, potest hoc ipso, si indefinite protendatur, distingui, ut diximus, in aeternitatem a parte anteriori et posteriori; at si ab aeterno existat ens contingens, eius duratio quocumque in instanti consideretur, est infinita, quia secus ascendendo reperiretur initium: duratio autem infinita continet ratione infinitatis omnia possibilia instantia, et ideoque nequit amplius crescere, at si augmentum non est possibile, nulla superest aeternitas a parte post: ergo. Rursus duratio successiva, quae talis est ut respondeat vel debeat posse respondere successivae multitudini horarum, dierum, annorum etc. infert necessario possibilitatem actualis multitudinis infinitae, quae tamen repugnat, et simul multitudinis infinitae, quae semper in eodem ordine angeatur, quod rursus repugnat, et ita porro. Ergo et ipsa duratio entis producti ab aeterno repugnat. Haec argumenta evolvimus in Philos. l. c. ideoque satis est modo ea innuisse.

Quod vero veteres aiebant demonstrari non posse novitatem seu inceptionem rei creatae ex rerum naturis, quia natura cuiusque rei abstrahit ab hic et nunc, propter quod dicitur quod universalia sunt ubique et semper: hoc argumentum, inquam, principio innititur

perperam intellecto. Scilicet natura rei abstrahit ab hic et nunc, quatenus ea non est per se determinata ad hunc vel illum locum, ad hoc vel illud instans temporis, sed potest per se esse in hoc aut illo, aut potest etiam locum semper minorem aut maiorem occupare, sed actu semper finitum, aut pauciora vel plura loca occupare, sed numero semper finita; et idem dicas de tempore, conc. quatenus simul quoque possit esse in omnibus possibilibus locis, vel carere limitibus in occupatione spatii, aut possit etiam duratione sua complecti omnia instantia possibilia, vel carere limite in duratione actuali sive a parte ante sive a parte post, neg. ac nego hunc esse sensum illius principii. Iam vero hunc esse sensum oporteret, ut ex eo principio efficeretur demonstrari non posse ex natura rei creatae quod ipsa exigat initium. Confunditur nimirum indefinitum cum infinito. cf. l. c. in Philos. et de hac re satis.

## ARTICULUS II.

### DE MUNDI OPIFICIO

#### Thesis XIV.

*Divina revelatio non tantum factum creationis, sed modum quoque et ordinem exhibet, quo factus est mundus. Cuius quidem modi et ordinis expositio progressus facere ex amplificata notitia rerum naturalium potest, dummodo Verbum Dei locum normae saltem negativae semper obtineat.*

1. Mundus est synthesis omnium naturarum factarum, quae caelo et terra continentur. Cum modum dicimus quo factus est mundus, intelligimus formationem singularum naturarum, sive non viventium sive viventium, collocationem earundem in spatio certoque loco, connexionem et harmoniam inter eas institutam, leges inditas singulis activitatis ac convenientis durationis, et si qua sunt huiusmodi. Cum ordinem dicimus, intelligimus habitudinem prioris et posterioris, qua se exceperunt opera Dei in conditione mundi. Iam vero manifestum est in 1. capite Genesis non tantum tradi factum creationis, quod iam probatum est; sed insuper quoad plura saltem modum et ordinem quo mundus est factus. Hic enim spectat descriptio operum sex dierum, ut conferenti liquere potest absque ampliore explicatione. Quod et omnes Patres testantur, qui hexameron, nempe opera sex dierum, luculenter enarrarunt exponentes seriem suc-